Misc. 650 n 28

SPIRITVS PRINCIPALIS
ORATIO
DE DIVINI SPIRITVS ADVENTV

AD SS. D. N.

CLEMENTEM X.
PONT. MAX.

Habita in Sacello Pontificum Quirinali.

A CAROLO AVGVSTINO FABRONO PISTORIENSI SEMINARII ROM. CONV.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Typis Ignatij de Lazaris. M. DC. LXXI.
Superiorum Permissu.

139



CLEMENTI DECIMO

PONT. MAX.

CAROLVS AVGVSTINVS FABRONVS FELICIT.






Rationem de Diuini Spiritus aduentu à me in Quirinali Pontificum Sacello coram Sanctitate Tua habitam Tibi Beatissime Pater, vt sisterem, diuinus ille, qui Tibi assistit Spiritus eo mihi potissimum nomine persuasit, quòd in Cælo videri poterit collocata, quando inter genti-

tilitia Tua Sidera recepta ſpectabitur ; & multò adhuc poterit apparere diuinior, cum illam Tuæ Tu pietatis, quæ Deum planè ſpirat, clementiſſimo aſpectu dignaberis. Hanc porrò vt in hunc modum excipias, & aſpicias, cum reuerentiſſimo ſanctiſſimorum tuorum Pedum oſculo humillimè Sanctitatem Tuam exobſecro: Deumque ſimul oro, vt Tuæ felicitati, incolumitatique mortalium diù Te ſeruet incolumem, ac felicem.

SPIRITVS PRINCIPALIS
ORATIO
DE DIVINI SPIRITVS ADVENTV.



ELAPSVS in terras hodie de Cælo Spiritus Beatiſſime Pater Spiritus ille principalis eſt, quo confirmari à Deo ſe Pſaltes Regius depoſcebat. Pſal. 50. 14. Et verò confirmauit Apoſtolos; quos enim antea imbecilles, ac timidos vnus militum aſpectus in fugam indecorè coniecerat; Matth. 26. 56. vna interrogantis ancillæ vox ad periuria deteſtanda compulerat; Matth. 26. 69. vnus ab Iudæis metus in latebras ſecreti, Ioa. 20. 19. obſeratique conclauis incluſerat, eos hic Spiritus excitauit, impulit, ac produxit in publicum; Act. 2. 14. iiſque ad diuinæ fidei veritatem animosè, ac fortiter euulgandam os dedit, & ſapientiam, cui reſiſtere ipſorum aduerſarij non valerent: Luc. 21. 15. ſic vt vna vnius Petri concione, ab ipſo ſtatim accepto Spiritu ad tria hominum millia à ſuperſtitione atque perfidia, Act. 2. 41. ab erroribus, ac pertinacia, ad ſalutis, vitæque ſigna tranſierint. Confirmauit inquam Apoſtolos principalis hic Spiritus, quos in coronæ ſpeciem ignearum immiſſu linguarum Principes inaugurauit Eccleſiæ; Act. 2. 4. ex ipſo ſtatim vultu, ac ſermone noſcendos, quando pari animi vultuſque conſtantià, & ardore, vna dumtaxat Dei

ma-

A*.2.4. magnalia loquerentur, qui antea vix aliud animo, & ore versabant, quàm quæ magna sunt hominum.
Psal.75.13. Abstulit enim ab ijs spiritum Principum principalis hic Spiritus; spiritum inquam inanem, ac tumidum Principum prophanorum, quo Apostoli aliquando ducti scilicet, ac seducti altercari inter sese,
Luc.22.24. ac quærere futili contentione cœperunt, Quis eorum videretur esse maior. Bracteas has honorum creperas, ampullas hasce vacuas titulorum ex ipsorum animis expulit illicò diuinus hic Spiritus, penitusque difflauit in ventum: aliasque ipsorum mentibus cogitationes, alia ipsorum cordibus vota submisit; vt nihil iam scire se, nihil velle aliud profi-
1 Cor.2.2. terentur, nisi Christum, & hunc Crucifixum: quem etiam ea vi, ac victoria prædicarent, vt hoc ipso,
1 Cor. 1.23. quod Iudæis quidem scandalum, Gentibus verò stultitia erat, & Iudæorum fucatam pietatem confunderent, & falsam fallentemque Gentium sapi-
1 Cor.1.19. entiam reprobarent. Quis hæc porrò neget Dei esse magnalia? Quis hunc, qui sic dabat Apostolis eloqui, principalem Spiritum non appellet? Ambitionis, & pompæ mala gramina Spiritus hic à cordibus Apostolorum auulsit? Parum hoc est: amorem ijs inseuit paupertatis, contemptuum, & pœna-
Act.5.4. rum: sic vt à conspectu Concilij eo nomine gaudentes abirent, quòd digni erant, qui pro Christi causa deformia quæque, & acerbissima deuorarent. Amplius: hæc sua ipsi vota, immò & gaudia, suo exemplo ab se transmittebant in alios, quando commutatis vicibus amoris, & odij, amplexus, & fugæ, spectata quidem, & blanda fugere, & odisse, despecta, & aspera amare, & amplecti, non paucos

solùm, gregariosque mortales, sed agminatim, & confertè doctos etiam, & locupletes, nobiles, ac potentes, Dynastas, ac Principes, Reges, ac Cæsares cum suasione feliciter, ac persuasione docebant.

De suo Spiritu super omnem carnem effusurum sese Deus aliquando promiserat; tunc verò fore vt hominum filij, & filiæ prophetarent; somnia somniarent senes; viderent iuuenes visiones. At hoc principali Spiritu tam largè supra mortales effuso plus multò Deus præstitit, quàm promisit. Plus enim est, quam de futuris, arcanisque vaticinari, præsentia bona, illecebras, honores, opes, pro conscientia arcana virtutis, & futuræ spe gloriæ aspernari: plus est, quàm somniari somnia, vana Mundi spectra laruasque animo non dormitante despicere; plus quàm visiones videre, oculis desiderantibus Christum nihil dignari aliud in terris aspicere. Ea certè Spiritus huius super omnem carnem effusi vis fuit, vt carnem ipsam in spiritum planè conuerterit, quando Mundi spiritus antea ipsum propè spiritum vertebat in carnem. Quid enim Christo sanctius? Et hunc tamen auferri ab oculis Apostolorum oportuit; vt diuinus hic Paraclytus ipsorum cordibus inferretur. Quamobrem verò? quia nimirum ipsum Christi Spiritum ad quemdam carnis amorem referebant Apostoli. Sed vmbra dumtaxat erant illi tunc Apostolorum. Suum Deus emisit Spiritum, & Apostoli creati sunt verè; eorumque deinde opera reparator Deus rugosam terræ senio iam confectæ defectæque faciem renouauit. Miratus olim est, & nunc miratur Orbis terrarum, tan-

Ioel.2.28
Ioa.16.7.
Psal.103.30

tantum per homunculos rudes, pauperes, neglectos, & retibus, hamoque tantùm assuetos tentari, moueri, excitari, ac perfici potuisse. Verùm numquid ingenità ipsis naturæ vi tàm noua, tam mira Apostoli præstitere? Immò verò, quemadmodum
Psal.32.6. Psaltes ante prædixerat, Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Os verò, & Verbum Patris Christus est; & à Christi Spiritu, quo repleti hodie fuerunt Apostoli, virtus omnis, & omne ipsis robur accessit. Quantum porrò est ex tam parua Apostolicæ prædicationis semente tantam in Ecclesia veræ virtutis, ac sanctitatis messem extitisse ab ipso statim initio, inque dies semper existere? Quantum ex hominum cœtu tam humili tam despecto, lectissimum hunc Christianæ Reip: florem, verendum hoc sacrarum Infularum decus, hunc Romanæ Purpuræ splendorem augustum, hanc Vaticanæ Sedis Maiestatem si minus diuinam, at plus certè quàm humanam, Deoque proximam deriuari? Spiritu oris Christi perfecta nempè sunt hæc: quæ magna profectò & mira sunt, sed maiora adhuc illa & admiranda sunt magis; quòd in quorum ipse corda prorsus illabitur, ij certè honorum licet præstantium, summorumque insignibus in oculis aliorum effulgeant, siquidem è Cruce Dominica effundi eos intelligunt, vnam ipsam Crucem & omni pompæ gloriæque euanescenti, fluxæque anteferunt, & intimis amoris animique vlnis arctissimè complectuntur. Ita Deus salutaris sui veram nobis reddidit, solidamque
Psal.50.14. lætitiam, quando, diuini huius Amoris munere Apostolis impertito, Ecclesiam suam omnem principali verè Spiritu confirmauit.